Gregorius episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis universitati et hominibus Terre Montissancti nobis et Romane ecclesie immediate
subiecte Firman. dioc. Salutem et apostolicam ben. Mentis vestre devotionis et probate fidelitatis quas erga nos et Romanam ecclesiam matrem vestram et dominam
semper gessisse et continue gerere comprobamini merito nos inducunt ut vos specialibus gratiis et favoribus prosequamur. Vestris igitur in hac parte
supplicationibus inclinati vobis quod usque ad apostolice sedis beneplacitum vos vel alique singulares persone in terra vestra Montissancti Firman. dioc. commo-
rantes in quibuscumque personis causis extra dictam terram ad iudicium trahi vel conveniri nequeatis inviti dummodo in eadem terra vos et singula-
res persone eiusdem terre parati sitis de vobis conquerentibus coram competenti iudice exhibere iustitie complementum, et quod ad exhibendum seu
dandum Sindicum aut Baiulum aliquem qui extra dictam terram crimina vel excessus seu maleficia que in eadem terra protempore committen-
tur beneplacito huiusmodi durante minime teneamini auctoritate apostolica de speciali gratia tenore presentium indulgemus. Districtius inhiben-
tes .. Rectori provincie nostre Marchie Anconitane de qua predicta terra existit et quibuscumque aliis Officialibus nostris et dicte ecclesie protempore
existentibus ne vos aut aliquam singularem personam ex vobis contra huiusmodi nostri indulti tenorem vexare seu molestare presumant ac decer-
nentes exnunc irritum et inane quicquid incontrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo
omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis inhibitionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem
hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Anagnie
vii Id. Octobris Pontificatus nostri Anno Septimo.

Jo. Grassi

Registrate fuerunt presentes lre
p me [illegible] Anthonii [illegible]
sub [illegible]

III

Che Nessuno in p.a
causa possa essere
conuenuto fuori d N.ro
Gregorio XI.
n.° 9.° 1377